
DE SACROSANCTA
ET INDIVIDUA
TRINITATE
ORATIO

QVAM HABVIT
IN SACELLO PONTIFICIO VATICANO
XII. Kal. Jun. Anno Intercalari MDCCLXXX.
AD SANCTISSIMUM D. N.

PIUM SEXTUM.

D.D. FRANCISCUS CANDIANI
PATRITIUS PAPIENSIS,
AC COLLEGII CLEMENTINI CONVICTOR.



ROMÆ M.DCC.LXXX.

EX TYPOGRAPHIA CRACAS,
SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

Digitized by Google

BEATISSIMO PATRI
AC DOMINO NOSTRO


PIO SEXTO
PONTIFICI MAXIMO

FRANCISCUS CANDIANI
FELICITATEM.

QUae nuper apud Te, Purpuratoſque Senatus tui Patres de debito, certaque imitandi Deum ratione pronunciabam; non illa quidem commonendi, aut excitandi Tui cauſa dicebam, ſed Te ipſum profecto tacitus vel graviſſimum Orationis meæ teſtem, & exemplum cæteris commonſtrabam. Non enim vereor, ne per-

peram, aut abundantius hoc de Te dictum exiſtimetur, quod univerſis Chriſtiani Populi ſuffragiis tibi maxime deberi ſentio; ſive enim privatum in te hominem, ſive Pontificem Summum Dei Optimi Maximi fungentem vicibus intuemur, te profecto unum ad Dei prorſus imaginem comparatum læti, lubenteſque recognoſcimus. Quare, quam habui de Deo Uno, ac Trino, Tui omnino juris tota cenſenda eſt Oratio*, a quo omne ſuum repetit firmamentum, ac decus. Reſtat, ut, qua ſoles, Clementia, illam Tibi occurrentem excipias, ſinuque tuo foveas ſobolem jucundiſſimam; meque interim, ſodaleſque meos, qui ſub auſpicatiſſima Tutela Tua degimus, provolutos in genua Apoſtolica Benedictione proſequaris.*

ORA-



ORATIO.

SI quid eſt, Beatissime Pater, quod ab optimorum Parentum diſciplina ad liberos divino, humanoque jure potiſſimum, ſpectare videatur; illud profecto eſt, ut eximiam eorundem animi, indolis, virtutumque omnium imaginem in ſe ipſis exprimere glorientur. Quod enim cæteris, ſive fortunæ, ut ajunt, ſive naturæ bonis certius, ſplendidiuſque patrimonium exiſtimatur; in eo procul dubio comparando, tum privatæ, cum publicæ utilitatis ratio omnem liberorum operam ſtudioſiſſime poſtulat. Cum autem quotquot orbis univerſitate continentur homines, communem ſe habere Patrem, eumque longe Beneficentiſſimum, Sapientiſſimum, Sanctiſſimumque, utpo-

te Cæleſtem, cujus neque Sanctitatem ignorare, neque diſſimulare beneficia, neque perpetuam de illorum incolumitate ſollicitudinem non internoſcere poſſunt, Deum ſcilicet, quo uno verbo tota perfectionis ſumma conſiſtit, Fidei, rationiſque teſtimonio moneantur; quo tandem ſtudio, libentique virium omnium conatu in id illos incumbere oportet, ut, qui hominum Parens, et appellari, et eſſe non dedignatur, idem tam liberali benevolentia, tantoque exemplo dignos ſe habere liberos gratuletur! Neque enim quidquam eſt, quod aut magis ad nos pertineat, aut noſtra reipſa magis interſit; cum et hoc uno Divinæ in nos caritati debitum filiorum officium rependamus, et filiorum per hoc unum hæreditatem refertiſſimam, ſempiternamque mereamur. Quapropter eo res tota recidit, ut, qua potiſſimum ratione optimum Parentem Deum deceat nos imitari, id noſtra diligenter exquirat oratio. Illud autem dum accurate perſequimur, hoc certiſſimum teneamus, quæ in ſingulis Trinitatis Perſonis ſe nobis exhibent, et occurrunt imitationis exempla, illa nobis ſtudioſe captanda eſſe, atque in ſalutis noſtræ commodum conferenda.

At enim, quot a Divina in nos Natura profecta nobiſcum degere, ac eminere chariſmata novimus, per quæ Deus, ut ait Apoſtolus, lucem inhabitans inacceſſibilem, ac nemini unquam viſus, nec aſpectabilis homini, pervium ſe Fidei noſtræ oculis præbet, ſeque parentem omnium

um amantiſſimum profitetur; tot equidem illa ſunt exemplaria Divinitatis nobis ad imitandum propoſita. Hæc porro recenſeamus Chariſmata; ſimul enim intelligemus, quid Deo Uni, ac Trino, Parenti noſtro, indiſtincte foris operanti imitationis referre debeamus. Ac primo quidem, quod ſumus, quodque, ſive per facinus amiſimus, ſive adhuc per miſericordiam retinemus, id omne a Deo Patre, cui præſertim abſolutæ poteſtatis opera tribuuntur, acceptum, derivatumque recognoſcimus: corpus, tum pluribus, cum variis vitæ officiis accommodiſſimum, utpote Opificis Patris manu compactum; animum, Divini profecto halitum, atque Imaginem Spiritus, ſignatum ſuper nos, Teſtem graviſſimum nobilitatis, Vultus Domini Lumen; intelligentiæ, recordationisque vi præditam mentem; voluntatem, promerendo, fruendoque maxime idoneam; tantorum porro bonorum ſplendidiſſimum complementum, ac cumulum, optimam cogitationum, operumque omnium moderatricem, Innocentiæ, Juſtitiæque habitudinem: quid, quæſo, amplius deſiderari poteſt, ut numeris omnibus abſolutos, Deoque dignos nos a Patre conditos eſſe fateamur! Quæ, ac quanta, per Deum immortalem, Creatoris beneficentiſſimi teſtimonia! Quot Naturæ prorſus Divinæ in nos traducta Chariſmata! Quæ denique, ac quam fideles ipſiuſmet Patris nobis ſuſceptæ ſimilitudines! Perperam vero hæc tanta hominibus tributa fuiſſe cenſeamus, quæ pro libito, aut deſidioſe negligerent, aut per malitiam

detur-

deturparent; ac non eo potius conſilio tributa, ut, quot in ſe Divinitatis imagines intuerentur, tot in ſe imitationis argumenta habere recognoſcerent; quot ſe Divinitus accepiſſe beneficia viderent, totidem ſe Deo reſponſionis officiis obſtrictos eſſe ſentirent? Quare hoc fixum maneat in cauſa, præclariſſimam Patris imaginem facultatibus animi adumbratam, una cum reſtituto per Mediatorem Dei, atque hominum indumento Juſtitiæ, ita nobis religioſe ſervandam eſſe, ut non modo nihil per nos detrimenti capiat, verum etiam per repetitos imitationis actus magis magiſque ad Divini exemplaris ſimilitudinem provehatur.

An vero minora Filii lineamenta indita nobis eſſe putemus, minoreſque proinde imitandi Filium Fidelibus ſuppetere rationes? Immo vero tot, ac tam penitus animis noſtris inſculpta, ut illius profecto Sapientiæ, qua ipſe eſt *Splendor gloriæ, ac figura Subſtantiæ* Patris, quaque Patris jus cum offenſoris incolumitate integrum ſervavit, pulcherrimum, ſempiternumque teſtimonium nobis reliquiſſe videatur. Quemadmodum enim Pater ſe ipſum contuens, ac comprehendens, coæternum, ac conſubſtantiale progenerat ſibi Verbum; tum nos ingenitam, qua cum Patre tenemur, affinitatem ſimilitudinis contemplantes, eaque pro dignitate muneris, atque ad mentem Largitoris utentes, quamdam in nobis æternæ Filii generationis imaginem quodammodo prodimus. Quod ſi vero ex ipſa Sapientiæ geneſi ad illius præſertim opera progrediamur, quot,

obſe-

obſecro, ac quam perpicua in aſſumpto ſibi ſatisfactionis, Redemptioniſque humanæ miniſterio Divinitatis nobis ſuæ veſtigia, et jura communicavit! An vero ignoramus, poſt ſuſceptam a Verbo humanitatem tantum mortalium generi dignitatis, atque amplitudinis acceſſiſſe, ut cum Dei Filio, Primogenito in multis fratribus, arctiſſimo cognationis vinculo contineamur? Quidquod uno Reparatoris nomine, nonne Filium communem omnium parentem factum, noſque ſibi in miſericordiæ liberos cooptatos, ipſomet teſte, recognoſcimus? Illud enim conſcientia conſtrictum prorſus tenemus, ut denegare vel volentes haudquaquam poſſimus, ex interitu nos, et ſervitute, atque ira in libertatem, vitam, dilectionemque Filiorum Dei per Unigenitum ſic vindicatos fuiſſe, ut hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti interclufum beatitudinis aditum, tanto Mediatore reſerante, penetremus. Quod vero univerſa, atque ſingula Incarnationis, vitæ, Paſſionis, mortiſque ſuæ promerita ad juſtificationem, ſalutemque noſtram Dei Filius omnimode accommodavit; quid, quæſo, hæc tot, ac tanta ſignificant, niſi illud, complura Sapientiæ ſuæ documenta, totidem veluti ſui ſpecies, nobis ne dum animo ſculpta reliquiſſe, verum, quod majus eſt, fidei, atque imitationi noſtræ etiam atque etiam commendaſſe? Quid porro turpius nobis, Deique Filio injurioſius poſſet accidere, quam ſi integram Vultus ſui nobis demandatam imaginem omni vitiorum cæno inqui-

inquinatam, ac deformatam eidem conſpiciendam exhiberemus?

Neque vero Spiritus Charitatis concreditum nobis Typum in hoc præſertim Gratiæ regimine vel leviter attendenti difficile eſt intueri. Cum enim ſuperveniente Miſericordiæ tempore, jugo tandem legis ſoluti, non per legem, ſed per Fidem, ac dilectionem impoſterum conſequamur juſtitiam; terrore utique, et minis, quibus ſervitutis Filii ad mandata legis adigebantur, a Filiis adoptionis ſublatis, ſuaviſſimus Charitatis ſtimulus per Spiritum Sanctum cordibus noſtris adjunctus ad bene utiliterque operandum libere volentes nos movet. In quo quidem ſapientiſſimo Sancti Spiritus magiſterio ad perfectionis ſuæ apicem naturam noſtram provectam licet admirari. Quod enim naturaliter, ſed fruſtra exoptat animus noſter, ſe omnia, quæcunque peragit, ſola voluptatis cauſa peragere; illud ſe Divinitus per Gratiam consecutum eſſe gratulatur. Hoc ſiquidem Spiritus caritatis donum potiſſimum eſt, ut æſtuantem in nobis concupiſcentiæ febri ſanet, ac perficiat voluntatem. Quod enim eſt tam mirum, quam ut eadem, a quibus humana abhorret infirmitas, quæque ad obtinendam animorum ſalutem neceſſario requiruntur, Pænitentiæ opera, ſi blandiſſimo dilectionis rore irrigentur, optatiſſima, ac jucundiſſima Fidelibus videantur? Atqui ita profecto optata, et jucunda per Gratiam videri ſolent, ut libentibus ad illa accedentibus animis, in uberrimos

mos æternæ vitæ fructus celeriter convertantur. Hoc autem, quantumcunque eſt Divinæ Charitatis regimen, quod peregrinos recreat, ac reficit, ſempiternamque iiſdem ſtationem per ſuccreſcentem meritorum cumulum in Patria molitur, ac deſtinat, quid aliud reipſa eſt, quam Spiritus dilectionis benigne impertita hominibus communicatio, illius, inquam, Spiritus, qui, ſicuti mutuæ Patris, ac Filii benevolentiæ Spiraculum eſt, ita, ut utrique, unde derivatur, tum ſibi etiam pro ſuæ Proceſſionis indole operanti teſtimonium perhibeat, id ſibi proprium ſumit, ut Chriſtiani Populi mentes nova quaſi anima inſtruat, et regat; ac Patri, Filio, Sibi denique ipſi per amoris magiſterium ſubmittat? Quare quo demum ſtudio, quantaque ſollicitudine nobis elaborandum eſſe exiſtimemus, ne inditum nobis per Charitatem Spiritus Sancti Typum per meliorum Chariſmatum contemptum obliteremus, præſertim cum ex eo uno Filii Dei dignoſcamur, et ſimus! Quanti potius pulchram Paracliti dilectionem æſtimare, quantum bene illa uti, quantum eam precibus petere, quantum non demereri, quantum denique per eandem ſummum beatitudinis noſtræ opus nos perficere oportet!

Simus ergo imitatores Dei, *ſicut Filii cariſſimi*, illud perpetuo cogitantes, quid ſimilitudinis cum Patre, quid cum Filio, quid cum Spiritu Charitatis nobis intercedat; hæc autem profecto ſimilitudo monebit nos; quibus præſertim officiis accurata Dei imitatio contineatur. *Non*

enim

enim, qui Filii carnis, hi Filii Dei; ſed qui meliora æmulantur chariſmata, *illi æſtimantur in ſemine*. Imitabimur porro Patrem Spiritualis ſubſtantiæ noſtræ Archetypum Conditorem, ſi mentis, animique facultates, ac vires in eo cognoſcendo, adorando, omnibus demum ſervitutis muneribus colendo impendamus. Imitabimur Filium lapſæ naturæ humanæ Inſtauratorem Sapientiſſimum, ſi, quæ nobis Sapientiæ ſuæ indidit Sacramenta, iisdem in obtinendo Redemptionis fine maxime utamur. Spiritum tandem Paraclitum imitabimur, mentium, cordiumque noſtrorum Moderatorem, ac Lumen, ſi per rectam Divinæ Charitatis exercitationem, ne dum arctiori in dies cum eo vinculo copulari exoptemus, verum etiam mutuam proximis noſtris amoris operam perſolvamus. Deus autem, cui totum, quod optimum eſt, acceptum referimus, qua miſericordia Pater omnium, tum præcipue Fidelium appellari voluit, quaque imaginem Vultus ſui in Filiis adumbravit, eadem per Gratiam ſuam in nobis illam perficiat, tueatur, atque glorificet.

FINIS.

THESES

EX THEOLOGIA SCHOLASTICA.

1 AN Mundus, vel alia res creata potuerit eſſe ab æterno?

2 Quem finem ſibi Deus propoſuit in creatione hujus Mundi?

3 Quomodo concipienda ſit creatio aſpectabilis univerſi; & an Carteſii doctrina, quæ mundum admittit indefinitè extenſum, Scripturæ, & Patribus ſit contraria?

4 An Deus in creando Mundo ea, quæ in ſe ſunt optima, fecerit, ita ut meliora facere non potuerit, habità ratione finis, quem inter agendum ſibi propoſuit?

5 An ſit poſſibilis de potentia etiam ordinaria Dei ſtatus puræ naturæ?

6 An homo in ſtatu naturæ puræ concupiſcentiæ pugnam pateretur?

7 An originalis juſtitia, qua rectus factus eſt Adam perfectione naturæ, eadem omnino fuerit cum gratia ſanctificante?

8 An in gratia ſanctificante conditus ipſe fuerit, & quomodo ad imaginem & ſimilitudinem Dei conditus fuiſſe dicatur?

9 An, & quale fuerit adjutorium gratiæ eidem conceſſum in ſtatu originalis juſtitiæ?

10 Quanam ipſe divina gratia indigeret, ut in accepta juſtitia perſeveraret?

Digitized by Google

11 An perſeverante ſtatu originalis juſtitiæ potuiſſet homo venialiter peccare?

12 An in eo ſtatu ſoli illi, qui modo ſunt electi, naſcerentur?

13 Quomodo primus homo, ejuſque poſteri in eo ſtatu fuiſſent impaſſibiles, & immortales?

14 Qualis, & quanta fuerit ſcientia primi parentis in ſtatu originalis juſtitiæ; & quodnam vitæ politicæ genus profiterentur homines illo ſtatu permanente?

15 Quomodo in ſtatu innocentiæ fieret generis humani propagatio; & an filii non modo faciles ad perfectum membrorum uſum, verum etiam ratione utentes, atque præditi ſcientia naſcerentur?

16 An, ſi primi Parentes in originali juſtitia perſeveraſſent, ex illis procreati in gratia ſtatim confirmati fuiſſent; & quomodo tranſiſſet originalis juſtitia?

17 Quodnam fuerit primum Adæ peccatum; & quot malitiæ ſpecies in illius transgreſſione reperiantur.

18 In quo reponenda ſit peccati originalis natura?

19 Quomodo peccatum originale in poſteros Adæ traducatur?

20 An gravius fuerit Adæ, quam Evæ crimen?

21 An, peccante Eva ſola, etiam ad poſteros tranſmitteretur peccatum originale?

22 An, præter originale peccatum, ſaltem Judæorum ſcelus in poſteros ipſorum transfundatur?

23 Num aliquis homo, poſt primi parentis lapſum, ita conſtitui poſſit a Deo cæterorum hominum caput, ut gratiam illis valeat promereri?

24 Quæ ſit pœna parvulorum decedentium cum ſolo peccato originali?

25 An beatitudo illà naturalis, quam pueris non ablutis poſt diem Judicii nonnulli Theologi adſtruunt, Sacræ Scripturæ, & traditioni adverſetur?

26 An originale crimen, nedum gratuitis innocentiæ donis naturam humanam ſpoliaverit; verum eam etiam in naturalibus omnino læſerit?

27 Quid poſſit homo peccato originali infectus, nulla licet Chriſti gratia donatus, circa bonum proſequendum?

28 An bonum opus morale, ſine gratia patratum, careat vitio?

29 An opera purè naturalia poſſint de potentia Dei abſoluta eſſe meritoria de condigno præmii ſupernaturalis?

30 An concupiſcentia, quæ inobedientiam Adæ ſubſecuta eſt, cauſet involuntarium?

THE-

Digitized by Google

THESES EX THEOLOGIA DOGMATICA.

1 DEUS OPTIMUS MAXIMUS non omnia, quæ potuit facere fecit. *Contra Abailardum, alioſque.*

2 Nulla creatura ſua ſubſtantia mala eſt. *Contra Manichæos, & alios Hæterodoxos.*

3 Ens nullum in rerum natura exiſtit, quod a Deo factum non ſit. *Contra Epicuræos, Vaninum, Hobbeſium &c.*

4 Spectabilis Mundi hujus materia non ab æterno, ſed in tempore a Deo ex nihilo facta fuit. *Contra Stoicos &c.*

5 Mundus conditus eſt, non in malorum pænam, ſed ut Dei bonitas nobis communicaretur. *Contra Origenem.*

6 Rationalis anima, qua vivens factus eſt homo, non eſt divinæ particula ſubſtantiæ. *Contra Manichæos &c.*

7 Hæc ipſa anima nec materialis eſt, nec finem eſt habitura. *Contra Epicuræos, Socinianos, & aſſeclas.*

8 Animarum ex uno in aliud corpus transmigratio, ut fabella reiicitur. *Contra Idolatras &c.*

9 Improbatur etiam ſimultanea animarum omnium in prima ſtatim productione rerum una cum ſuis organicis corpuſculis creatio. *Contra Leibnitzium &c.*

10 Ex anima, Protoplaſto data, nequeunt per ſemen ceteræ propagari. *Uti ex Tertulliano Antonius Roccus.*

11 Adam ante lapſum fuit a Deo conſtitutus in ſtatu ſanctitatis, & juſtitiæ, non autem in ſtatu naturæ puræ relictus. *Contra Pelagium, & Fauſtum Socinum.*

12 Gratia ſanctificans, qua præditus revera fuit Adamus antequam caderet, debita non erat humanæ naturæ conditioni. *Contra Michaelem Bajum, & Janſenium.*

13 Si Adam non peccaſſet, minime mortuus fuiſſet. *Contra Pelagianos, & Socinianos.*

14 Immortalitas tamen primi hominis non fuit naturæ proprietas, ſed gratuitum beneficium Conditoris. *Contra Bajum, & Janſenium.*

15 Adæ peccatum in omnes, & ſingulos poſteros traducitur. *Contra Carpocratianos, Origenem, Pelagianos &c.*

16 Neque Parentum baptizatorum fides impedit, quominus peccatum Adæ liberis ipſorum imputetur. *Contra Calvinum. Vvindelinum, Voſſium, & alios.*

 17 Ori-

17 Originalis peccati natura non eſt mala ſubſtantia a Diabolo producta. *Contra Mathiam Illyricum*.

18 Nec eſt formaliter concupiſcentia illa, per quam Adæ filii propenſionem ineſſe ſibi experiuntur ad malum. *Contra Lutherum, & Calviniſtarum plures*.

19 Rebellis concupiſcentia naturæ vulnus eſt, & peccati originalis pæna. *Contra Pelagianos*.

20 Eſt etiam pæna originalis culpæ ignorantia, qua modo ratio circumfuſa eſt. *Contra Ethnicos, & Pelagianos*.

21 Habet homo libertatem indifferentiæ ſuaptæ natura, & eſſentiali conſtitutione. *Contra Hobbeſium &c.*

22 Neque liberum arbitrium poſt peccatum eſt titulus ſine re, & figmentum in rebus, ut voluit *Calvinus*.

23 Periit tamen per peccatum libertas illa, quæ in Paradiſo fuit, habendi plenam cum immortalitate juſtitiam. *Contra Pelagianos*.

24 Liberum arbitrium non ita per peccatum fuit vulneratum, ut ſine gratiæ Dei adjutorio nonniſi ad peccandum valeat. *Contra Bajum*.

25 Nequit liberum arbitrium ſuis viribus naturalibus vitam æternam mereri. *Contra Pelagianos*.

26 Ad ſalutariter operandum requiritur gratia entitative ſupernaturalis. *Contra eoſdem*.

27 Non in eo gratia ſanitatis a medicinali diſtinguitur, quod hæc, contra atque illa abſolutam aſſentiendi neceſſitatem inferat voluntati. *Contra Lutherum &c.*

28 Deus neque voluit hominem in perditionis maſſa relinquere, neque gratiam, & veniam ipſi ſine condigna ſatisfactione concedere. *Contra Crellium &c.*

29 Adam peccati pœnituit, & ſalutem æternam eſt conſecutus. *Contra Tatianum, & aſſeclas*.

30 Parvuli ſine baptiſmo decedentes beatitudine ſupernaturali minime fruuntur. *Contra Pelagianos &c.*

THE-

Digitized by Google

THESES EX SACRIS SCRIPTURIS.

1 MOyſes, cum Ægyptium Hebræum vexantem occidit, homicidii reatum non incurrit.

2 An Jethro, cujus filiam Sephoram duxit uxorem Moyſes, umquam Idololatra fuerit?

3 An Deus, vel potius Angelus fuerit, qui Dei majeſtatem, auctoritatemque referens Moyſi apparuit in Rubo, quem ardere, intactis tamen vepribus, ipſe vidit?

4 Quem poſtulaverit Moyſes, cum in Ægyptum ire detrectans, dixit: *Domine, mitte quem miſſurus es*?

5 An, & quomodo Magi Ægyptii virgas & ipſi ſuas in veros ſerpentes tranſmutaverint?

6 An bonus, vel malus Angelus fuerit, qui omnes Ægiptiorum primogenitos peremit?

7 Quem interfecerit Angelus marem, quem percuteret, natu majorem in aliqua familia non inveniens?

8 In Iſraelitarum ex Ægypto egreſſu ſecum ipſi tulerunt Ægyptiorum ſpolia, quin peccarent.

9 Quo anno Hebræi pedem ex Ægypto retulerint; & an armati proceſſerint?

10 Moyſes manum ſuam ſuper Mare Rubrum extendit, atque inſigni prodigio viam inter undas hinc inde recedentes aperuit, ut Iſraelitæ ſicco veſtigio tranſirent.

11 An cum Pharao, & Ægyptii inſecuti ſunt per Mare Rubrum Hebræos, omnes ad unum illi, recurrentibus aquis, ne Rege quidem ſuperſtite, perierint?

12 An lignum, quo Moyſes amaricantes aquas dulces fecit, id naturali virtute, vel miraculo præſtiterit?

13 An miraculoſum fuerit manna, quo Iſraelitæ paſti ſunt, nullatenus confundendum cum Arabico?

14 Quid fecerit Moyſes, ut Iſraelitas per totum deſertum eadem ſemper aqua recrearet, quam Petra virga percuſſa potando populo dedit; & quomodo in deſerto cæteris Hebræorum rebus conſuluerit?

15 An in deſerto ſervata fuerint præcepta cæremonialia?

16 An, & quomodo Deus interdixerit Hebræis cujuſcumque generis imagines in primo Decalogi præcepto?

17 Aaronem nulla ratio excuſat ab idololatria cum vitulum aureum populo propoſuit adorandum.

18 An

18 An Hebraicæ ceremoniæ, & leges, ex Ægyptiacis expreſſæ ſint, an è contra?

19 An hemiſiclum, quod in tabernaculum perſolvere juſſit Moyſes, a Populo quotannis ſolvendum eſſet?

20 Quiſnam exaraverit ſecundas tabulas legis: quomodo dicantur ex utroque latere deſcriptæ; & an una cum ipſis Aaronis quoque virga, & Gomor manna plenum in Arcam illata fuerint?

21 Quænam fuerit cauſſa murmuris Aaronis, & Mariæ contra Moyſem propter uxorem ejus Æthiopiſſam; & an hæc alia fuerit a a Sephora filia Jethronis?

23 An Deus morte tantum temporali mulctaverit Nadab, & Abiu, quod in igne non ſacro thura dedere?

23 Quid rei eſſent Urim, & Thummim in Rationali judicii; & quid ſentiendum ſit ad rationem quod attinet Deum per Urim, & Thummim conſulendi?

24 An Judæis licitum fuerit de Adipe Animalium immolabilium manducare?

25 An animalia omnia ante tabernaculum, & non alibi mactarentur; & unde oriatur eorum impuritas legalis?

26 An Jubilæi annus quadrageſimus nonus, vel quinquageſimus fuerit, & quo potiſſimum tempore Jubilæi feſtum iniret; & an inter Hebræorum feſta primum, ac vetuſtiſſimum fuerit Sabbatum?

27 An Balaamus fuerit verus Domini propheta; & an oraculum illud, *Orietur ſtella ex Jacob*, prono, & litterali ſenſu ſit interpretandum de Meſſia.

28 Quod numen eſſet Beelphegor, & quænam etiam fuerint Moloch, & Chevan idola?

29 Moyſes revera fuit auctor Pentatheuchi.

30 An vere Moyſes obierit; & qua de re S. Michael de cadavere Moyſis cum Diabolo altercatus eſt?

THE-

THESES EX HISTORIA ECCLESIASTICA.

SÆCULUM III.

1 AN tota de Rebaptiſmo controverſia inter S. Cyprianum, & S. Stephanum I. commentitia ſit, uti contendit Miſſorius: an autem vere exarſerit, ſicuti Hyacinthus Sbaralea Miſſorii Sodalis demonſtravit?

2 An S. Stephanus I. Romanus Pontifex Epiſcopos, qui baptizatos ab hæreticis iterum tingebant, revera excommunicaverit?

3 An Tertulianus fuerit Montaniſta?

4 Quo differrent jejunia Catholicorum, & Montaniſtarum?

5 An Clemens Alexandrinus negaverit transfuſionem peccati originalis per propagationem ex ſemine?

6 An S. Alexander Hieroſolymorum Epiſcopus fuerit primus de una ad aliam ſedem translatus, & an fuerit primus coadjutor viventi Epiſcopo deputatus?

7 An *Indulgentia*, quæ ad preces Martyrum concedebatur lapſis, ad externam tantum pœnæ Eccleſiaſticæ condonationem deſerviret?

8 Deſipit Dodvvellus, qui exiguum fuiſſe martyrum numerum aſſeverat.

9 Quidnam fuerit *Communio peregrina*, ad quam olim Clerici in pœnam redigebantur?

10 Diaconis numquam, ac nuſquam facultas ſacramentaliter abſolvendi conceſſa eſt.

11 An primis Eccleſiæ ſæculis celibatus etiam in Eccleſia Orientali fuerit ſacris ordinibus annexus?

12 An fidelibus priſcis Eccleſiæ temporibus licitum eſſet ſpectaculis, ludiſque publicis intereſſe?

13 Utrum omnia peccata læthalia publicæ pænitentiæ ſubiicerentur tribus primis Eccleſiæ ſæculis?

14 An Synodus Antiochena adverſus Paulum Samoſatenum congregata vocem *Homouſion* proſcripſerit?

SÆCULUM IV.

15 An epiſtolæ Decretales uſque ad Siricium Papam genuinæ, vel ſuppoſititiæ ſint?

16 An Patres Ante-Nicœni admiſerint Verbi divinitatem?

17 An

Digitized by Google

17 An *Miſſa latina* confecta fuerit IV. vel V. ſæculo; & an vetuſtiſſima ſit omnium Liturgiarum tam Græcarum, quam Latinarum, quæ ad nos pervenerunt?

18 An nova ſit, ac prorſus repudianda ſententia Patris *Le Brun* aſſerentis formulam eſſentialem conſecrationis Miſſæ non in iſtis verbis *Hoc eſt &c. Hic eſt &c.* ſed in oratione & precibus conſiſtere?

19 Cujus nomine Concilio Primo Generali Nicœno præfuit Oſius Cordubenſis?

20 An Concilium Primum Generale Nicœnum celebratum ſit Paulino, & Juliano Coſſ. & quot canones ediderit, & quamdiu duraverit?

21 Canon VI. Concilii Primi Generalis Nicœni primatui Romani Pontificis non adverſatur.

22 An Synodus Arelatenſis iterum examinaverit deciſam a Stephano Primo quæſtionem de Hæreticorum baptiſmate, eamque aliter quodammodo definierit?

23 Melchiades Papa præfuit Concilio Romano, ut Judex in cauſa Donati, non ut Legatus Imperatoris.

24 An Interdicta fuerint uſitata primis quatuor ſæculis?

25 Utrum primis quatuor Eccleſiæ ſæculis Epiſcopi Provinciarum rexerint particulares ſuas Eccleſias inconſulto prorſus Romano Pontifice?

26 Utrum prioribus quatuor ſæculis obtinuerit, ut quæ à Romano Pontifice de Epiſcoporum depoſitione decreta eſſent, in Synodo deinde confirmarentur?

27 Utrum quibuſdam criminibus olim denegata quandoque fuerit abſolutio, & apud quas Eccleſias id obtinuerit?

28 An Nectarius Patriarcha Conſtantinopolitanus ſuſtulerit pænitentiam publicam, aut privatam?

29 Quo tempore coactum ſit Concilium Eliberitanum, quidque per ejus Canones Communicatio ſignificet?

30 An Euſebius Cæſarienſis jure Arianorum Princeps ſit appellatus?

FINIS.

Digitized by Google